

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

De subsidis quibus eget res Latina commentationes.
Philosophicae disputationes Modernistarum inter et Thomistam.
 De actus voluntarii dependentia erga actum rationis — Quid sit iudicium liberum penitus investigatur.
Amygdalus et Puella.
Archaeologicae res. — De Christianorum sepulcrorum ornamentis.
Colloquia Latina. — Puer beneficus.
Paroemiae sive adagia: Quot homines, tot sententiae. — Tunica pallio proprior.
Ex Batavia. De certamine poetico Hoeufftiano.
Ex Italis urbis. — De magno artium certamine Augustae Taurinorum indictio. - II.
Christi Domini passio, quam Paulus Veronensis pinxit.
Domestica funera.

Christo-Deo resurgentia.
Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae: Ex Congregatione Consistoriali. — Ex Congregatione de Sacramentis. — Ex Commissione de Re Biblica.
Diarium Vaticanum.
Annales. — Belli rumores.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Librorum recensio. (F. Capuzzello).
Libri recens dono accepti.
Ioci.
Numismatum collectoribus monitum.
Aenigmata.
Appendix: Euplius.

DE SUBSIDIS QUIBUS EGET RES LATINA COMMENTATIONES

Ad Magistros Linguae Latinae.

Duo sunt eorum consilia, qui nostris temporibus rei latinae proficere student: unum, ut adversariorum obiectionibus occurrant, alterum ut linguam litterasque latinas melioribus institutionibus tractent. Haec autem duo unum valent. Namque si excipias eos qui, sive novarum rerum cupiditate adducti, sive falsa utilitatis specie obcaecati omnia studia ad artium humaniorum cultum pertinentia funditus sublata volunt, haud scis an nemo relinquatur quicum non possimus pacifice et amice agere.

Cum ipsis quidem *Philistinis* (ut Anglorum vocem notissimam usurpem), hoc est, cum contemptoribus et osoribus disciplinarum liberalium nullae omnino nobis pacis condiciones esse possunt; sed bello, bello inquam, continenter, perque caduceatorem non denuntiato contendendum est, quum nusquam alio spectent huiusce militiae arma quam ad alterutrius partis internacionem. *Vae victis!*

Sed quoniam fas est ab hoste doceri et magna pars eius argumentationis, quae contra latina studia instituitur, non tam est hostiliter insectantium aut iniquo animo infitiantium omnem huius discipline utilitatem, quam desperantium et conquerentium quod tantis laboribus nostris et discipulorum nostrorum tantilli respondeant doctrinae fructus — id quod nos minime dubitamus, — sequitur ut tota fere causa nostra ad unum velut principiu-

pium determinationis revocetur, nempe si institutiones nostras latinas radicitus emendatas atque quam maxime utiles praestare valeamus. Perfectio autem artis cuiuslibet non est unius hominis quamvis ingeniosi, sed plurimorum artificum communi concentu optimisque consiliis inter se laborantium. Quapropter nobis qui linguam litterasque latinas profitemur summopere nitendum atque efficiendum est ut communia agendi consilia ineamus et communi itinere ad proposita tendamus. Ad ea igitur subsidia quae in communi mutuoque auxilio possita sunt oculos vestros convertere velim.

Sunt autem meo iudicio octo: 1) pronuntiatione longe lateque communis, etiamsi ea discrepet a philologorum subtilitate; 2) conventus doctorum saltem annui, ubi in commune consulatur — quales habere consuerunt ceterarum professores artium, ut medici; 3) ephemoris aliqua hebdomadalis, per quam orbis latini cives saepius et cuniunctius inter se communicent; 4) genus latinitatis satis purum quidem neque inelegans, sed tamen aliquanto simplicius atque ab eis ambagibus et difficultatibus quibus veterum scripta abundant remotius; 5) cursus elementorum sive praeparatorius quo tirones iam inde ab initio discendi ad universum sermonem latinum facile, commode, plene percipiendum perducantur; 6) magna copia fabularum amoeniorum, praesertim milesiarum, quae tirones modica adhuc scientia linguae latinae imbutos ad frequentes et copiose lectitandum allicant; 7) indices voluminiores ad hodiernas res exactius, nec tamen

nimis barbare, exprimendas compositi; 8) academia sive auctoritas quaedam generalis, quae de dubia latinitate iudicia faciat et tanquam omnium doctorum nomine pronuntiet.

* * *

De pronunciatione sermonis latini si quis *a priori*, ut aiunt, ratiocinari vult, plures invenit sententias, quarum quaelibet per se considerata sua gaudet commendatione. Primum antiqua illa Romano-rum pronuntiatio plurimos est fautores consecuta, etsi omnium suffragia nequaquam tulit; deinde haec eloquendi ratio, quae hodie in Italia viget, non sine probabili causa commendatur; tum minime est spernenda eorum sententia, qui patrii sermonis sonos relinqui nolunt, praesertim quum ingens numerus vocabulorum domesticorum e latinis fluxerit, sonis tantum ab antiquitate differentium, ita ut haud absurde contendi videatur nihil omnino interesse quomodo quis pronuntiet, si modo scripta legat et scribere sciat et inter populares suos intelligatur.

Sic enim argumentatur: Italos ab Italis, Germanos a Germanis, Anglos ab Anglis latina accipere solere, si quis veterum ex inferis excitari posset qui patrum sermonem latinum doceret, tum necessarium futurum fuisse ut ubique gentium una eademque regnaret vetus Latinorum consuetudo: nunc satis esse si iis qui simul adsint verba loquentis aut recitantis verum intellectum reddant.

Apud Americanos, exceptis iis hominibus qui Ecclesiae Latinae traditiones sequuntur, ab omnibus fere tam privatorum quam publicarum scholarum magistris una illa pronuntiatio recipitur, quae classicorum scriptorum temporibus in usu fuisse creditur. Scilicet, *c* littera non differt a *k* (Marcus Tullius Kikero) et *g* duritia non aliter sonat in *gemma* atque in *gutta*; *t* nunquam sibilat et *v* consonans idem valet quod anglicum *w*; *s* ubique acriter sibilat, ut *rosa* (quasi *rossa* praeterquam quod prior syllaba *o* brevi terminatur) et *urbs* effertur quasi sit *urps*; *ae* et *oe* diphthongi et inter se differunt et ab *e* vocali longe absunt.

Hactenus principia, me puer; postea vero etiam in *latentes* quae dicuntur vocalium quantitates inquire coeptum est, cuius rei per vestigatio partim testimoniis veterum continetur, partim linguarum variarum inter ipsas comparatione. Namque, ipso Cicerone teste, producuntur vocales quas excipiunt *N S* litterae aut *N F*; porro e graecis litteris liquido constat aliter *e* litteram in Festo, aliter in Celso sonuisse, quum illud nomen per *eta* scribatur

hoc per *epsilon* tum — quod maioris est subtilitatis — *u* litteram longam fuisse in *nullus*, *a*, *um* e gallico *nulle* (ubi servatur), brevem in *columba* (unde *colombe*) acute conclusum est. Haec et sexcenta alia nostrates perscrutantur et summo ardore pueros edocent.

(Continuabitur).

THEO. T. CHAVE.

PHILOSOPHICAE DISPUTATIONES MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM

**De actus voluntarii dependentia erga actum rationis
— Quid sit iudicium liberum penitus investigatur.**

MODERNISTA. — Me excusatum habeas, amice carissime, ubi te quasi ex somno, seu melius, si mavis, ex obliuione diuturniori te repente excitem, post colloquia nostra iam a mensibus interrupta de argomento inter nos disputando: siquidem id aegre fero, quod discussio nostra dimittatur infecta de re tanti momenti.

THOMISTA. — Rectissime sentis ac dicas, dilectissime. Neque ego diffiteor colloquia nostra male a mensibus interrupta fuisse, etsi veniam fortasse expostulent quaedam rerum adiuncta seu impedimenta vix mili vitabilia. Quidquid id fuerit, resumamus disputationem tamdiu dimissam.

Quum tamen res tibi penitus quam mihi menti inhaereant, faveas disputationis ultimae nostrae argumentum acu tangere et indicare.

M. — Ad hanc igitur deveneramus conclusionem, requiri ad iudicium liberum indifferentiam amabilitatis in obiecto: nisi quippe obiectum possit et amari et non amari, iudicium nullimode liberum erit dicendum, neque libera electio inde secuta, eo imprimis quod electio non sit nisi boni contingentis.

Mihi tamen per menses integros attentius cogitanti nonnulla rerum contrarietas occurrit. Dum enim requiritur indeterminatio amabilitatis in obiecto, unde habetur iudicij libertas, requiritur insimul determinatio subiecti. Ad exercitium quippe intellectus requiritur cognitio vera et perfecta, quae sit de obiecto ipso deque omnium circumstantiarum adiunctis, ita ut hic et nunc rationem boni amandi pae se ferat; neque ad libertatem iudicij requiri potest cognitio falsa vel dubia. Hoc autem importat aliquam intellectus determinationem.

Haud secus eamdem subit voluntas determinationem, quum voluntatis actus non nisi unus numero simul esse possit, determinatus utique ipsius rationis iudicio.

T. — Istiusmodi tamen contrarietas sponte evanescent, ubi sedulo distinguas finem attingendum inter et media quibus attingendus erit, indeque iudicium in-

ter quo dictatur amor finis, et iudicium quo mediorum electio praescribitur. Iudicium scilicet dictans amorem finis minime importat secundum se indifferentiam obiectivam amabilitatis in ipso fine, etsi importet huiusmodi indifferentiam ut causalem, respectu scilicet mediorum, seu iuxta scholasticorum dictum minime hodiernis nostris deridendum, in ratione « finalizandi ».

Finis quippe non est indifferenter amabilis, quum sit bonum ipsum ad quod determinatur ex propria natura voluntas, quae proinde instinctu et ut a Deo mota illum amat. Iudicium igitur dictans finis amorem non proponit finem ut indifferenter amandum vel non amandum in se ipso. Praescribit tamen ex finis amore plura indifferenter amanda media, quibus finis diversimode obtineri valeat, quorumque nullum sit medium unicum obtainendi.

Quod tamen, ut obiter notem, nullimode impedit quominus inter bona particularia nonnulla sint determinate amabilia prae ceteris, ut v. gr. bonum honestum prae ceteris bonis, eo quod illud solum rationi recte congruit, solumque dicendum sit bonum hominis qua hominis.

At vero his sane suppositis atque assertis, nullimode hinc colligendum est bona particularia eademque naturalia, imo ipsum finem ultimum in particulari, non esse, saltem ex hominis imperfectione, contingenter amabilia, neque ad illorum apprehensionem determinari intellectum ut iudicet ac praescribat eadem determinate esse in particulari amanda.

Duplex igitur determinatio naturalis asserenda est: alia nempe intrinseca, qua potentia cognoscens propria natura iudicet obiectum cognitum esse determinate amandum, eiusdemque contrarium fugiendum: quae determinatio sane naturalis et audit et est. Alia autem datur determinatio naturalis quae est ex rationis deliberatione et consilio, sese moventis et determinantis ad aliud in particulari prae ceteris amandum. Iudicium igitur liberum illam determinationem excludit prout ab intrinseca natura necessario provenientem: istam vero non excludit, imo et supponit necessario, siquidem voluntas non determinatur nisi ratio determinet, quidquid in contrarium minus sapienter fingant et effutiant Modernistae nostri.

Iudicium ergo liberum repraesentat obiectum determinate amandum: sed ex rationis iudicio et deliberatione, minime autem ex necessitate naturalis instinctus.

Unde imprimis iudicium liberum proponit obiectum ex se indifferentem ut ametur vel non ametur, prout nempe continens in se rationem boni cui nonnulla mali ratio admiscetur, non semper quidem ex parte rei ipsius, sed saltem ex imperfectione hominis rem insufficienter cognoscentis. Quo fit ut ipse Deus, summum utique bonum, non appareat ut summum bonum rationi hominis imperfecte cognoscentis. Iudicium tamen liberum est formaliter determinatum, quia sese ex se determinat, et determinat voluntatis electionem, exclu-

dens determinationem intrinsecam, imo et extrinsecam eamdemque violentam: nullimode autem excludens, imo et supponens determinationem istam naturalem, qua specificatur inde voluntas obiective ac dirigitur ad electionem huius particularis boni piae aliis.

M. — Sed vero, licet quam libentissime concedam non requiri ad libertatem iudicii ut honestum appareat prae inhonesto indifferenter amabile, eo quod voluntas mali per se non requiratur ad libertatem, videtur tamen requiri ad eamdem ut illud bonum, nempe honestum, appareat vel vere vel apparenter amabile, unde iudicans possit nolle vere honestum, et ex alio iudicio apparenti possit etiam inhonestem velle.

T. — Adverte tamen, dilectissime, aliud esse quod homo libere agat, et quod sciat se libere agere. Ad primum enim sufficit si homo usu rationis libero polleat indeque iudicet, etiamsi ex errore aliquo speculativo contendat obiectum non esse indifferenter amabile, sed necessario amandum: ex quo errore nullatenus perimitur libertas. Unde fatalista quispiam, etsi teneat voluntatem necessario in omnibus velle, dum tamen ex pleno usu rationis agit, libere agit, unde praemiandus vel puniendus erit, prout iuxta vel contra legem egerit.

Ad alterum autem requiritur same ut homo cognoscat indifferentiam vel contingentiam obiecti in ordine ad finem, indeque istud esse vel amabile vel non amabile, sive contingentia huiusmodi sese habeat ex parte obiecti in se, sive in obiectum redundet ex imperfecto iudicio amantis.

Quapropter non requiritur ad actum liberum ut agens explicite et formaliter sentiat obiectum esse indifferenter amabile, sed sufficit quod ex consilio velit id quod sibi vere est indifferenter amabile.

M. — De cuius tamen consilii necessitate nonnulla mihi occurruunt dubia tibi ingenue proponenda.

Et quidem primo Thomistis tuis quam libentissime concedam requiri consilium illud, ubi ex mediis unum est reapse bonum, aliud reapse malum: id tamen Modernistis concedendum videtur quod ubi omnia media appareant bona, etsi unum alio forsan melius, proinde omnia in ordine ad finem utilia et eligibilia, sufficere si intellectus ea omnia proponat qualia vere sunt, ex quo supposito voluntas absque ullo alio rationis actu aut iudicio illud quod libuerit elget.

Quod etiam patet ex ipsiusmet libertatis divinae natura.

Deus quippe per simplicis intelligentiae eiusdemque naturalis actum, vedit infinita esse possibilia et eligibilia, imo maioris minorisve bonitatis et excellentiae esse, atque per meram voluntatem ad hunc praesentem mundum fabricandum absque alio prorsus iudicio sese prorsus determinavit. Quidni idem in homine fieri possit?

T. — Dicendum tamen et tenendum hominem ponit in manu proprii consilii, quia iudicio rationis sese de-

terminat ad eligendum unum p[ro]ae alio, unde specificat proprios actus.

Neque in contrarium adducenda est libertas divina quae ab humana libertate in immensum discrepat.

Libertas enim divina nullam importat indifferentiam passivam per quam actibus liberis intrinsece perficiatur: quidquid enim perfectionis importat actus intrinsecus liber in agente libero, in Deo naturale est, atque necessarium et immutabile.

Neque in Deo invenitur indifferentia passiva ad consecutionem propriae finis, quum ipse sibi finis suus sit.

Libertas igitur in Deo solam indifferentiam activam importat ad communicandum creaturis propriam bonitatem, ita ut amor Dei bonitatem in creaturis faciat, non autem supponat. Quidquid Deus facit ex propria bonitate, non ex creaturarum bonitate facit.

His adde nullum medium Deo esse ad finem magis minusve utile, siquidem Deus non fit nobilior creando nobiliores creaturas, licet ipsae creature in se ipsis plus minusve nobiles dicantur et sint. Imo quidquid ordinabile est ad ipsius bonitatem, secundum ipsius ordinationem extemplo fit optimum. Omnia quidem in intellectu divino apparent ut inaequalia, sed tamen omnia ut optima.

Quod ceterum iudicium, dilectissime, non ad scientiam simplicis intelligentiae pertinet, sed ad scientiam visionis, quum terminetur ad rem existentem.

Quae omnia sane libertati humanae non competit; siquidem ista perficitur intrinsece per actus proprios, ordinatur ad consequendam propriam bonitatem, mediaque eligit plus minusve efficacia in ordine ad finem, siquidem ipsa non est perfecta, sed perficienda.

M. — Sed tamen, ut redeamus ad thema propositionum, plures fuerunt theologi ac philosophi qui tenuerunt sufficere ad determinandam voluntatem, si intellectus proponat media vel aequaliter vel inaequaliter utilia, ita ut absque alio intellectus iudicio voluntas possit sese determinare ad illud quod magis libuerit.

T. — Nonnullos, aliunde paucos, huiusc sententiae fuisse confiteor: sed tamen contra rationem. Voluntas quippe est in potentia passiva et contingentia non solum respectu substantiae electionis, sed etiam determinationis qua unum medium p[ro]ae alio eligitur, proindeque a proprio movente, nempe intellectu, moveri debet ad huiusmodi determinationem perficiendum, atque ita praesupponit ex ipsamet sui natura iudicium determinatum, quod ex pluribus mediis unum esse p[ro]ae aliis eligendum dictat.

Imo et id requirit ipsius voluntatis bonum, siquidem inclinatur ad acquirendam propriam perfectionem, indeque ad electionem eo modo quo melius haberi potest habitam. Quae electio sane eo melior dicenda erit et perfectior, quo rectius per rationem dictabitur usque ad ultimam entitatis suaue formalitatem.

Id aliunde requirit insimul voluntas, ut ratio investiget meliorem viam ad perfectionem propriam procuru-

randam, proindeque ut electio fiat de meliori medio atque utiliori ad finem obtainendum; denique ut intellectus de meliori medio iudicet.

Etsi autem nonnulli fingant dari media aequa utilia ad finem prosequendum, nullimode hinc sequitur voluntatem non determinari per intellectum ad unum p[ro]ae aliis eligendum. At vero istiusmodi hypothesis de mediis aequa utilibus nunquam reapse occurrit, siquidem vel ex se vel ex aliqua circumstantia unum p[ro]ae alio utilius vel re vel apparentia atque aptius erit, sive ad finem ultimum, sive ad finem particularem. Divinae providentiae prorsus est res ita ad extra ordinare, ut una vel sit, vel saltem appareat utilior, ut medium efficacius ad finem, etiam male concupitum.

Rationis igitur indoles et ordo postulant ut res examinentur et in se et in adiunctis, ita ut iudicium sit semper de meliori bono aut vero, aut apparenti.

Ex iudicio autem habetur affectio amplectens id quod iudicatum est.

Iudicium igitur practicum idemque ultimum necessario est ad unum determinatum; neque voluntas eligere potest vel minus utile, vel aequa vel magis utile, nisi intellectus iudicet unum p[ro]ae ceteris esse vel minus utile, vel aequa aut magis utile.

(Ad proximum numerum).

I. I. B.

AMYGDALUS ET PUELLA

PUELLA.

*Squallat adhuc tellus, nivibus stant culmina montis
Candida, tu imprudens floribus indueris?
Aspice ut immites nimbos et frigora caelo
Proh miseram boreas in tua damna parat!
Graminibus laetum cum ver depinxerit agros,
Stultitiae poenam tunc male cauta lues.*

AMYGDALUS.

*Tu quoque candidulum gestas sub pectore florem,
Vincere quem specie nil pretioque potest,
Et tamen imprudens nimbis exponis et euris,
Perdere dum tenerum quaelibet aura valet.
Flos mihi vel glacie raptus tamen usque revivet,
Non tuus exsurget si semel abiicias.*

Auximi.

P. RECANATESI.

Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter.

PUBLIL. SYRUS, *Mim.*

Archaeologicae res

De Christianorum sepulcrorum ornamentis.

Inter omnes constat, Praeconstantiniana Christianorum sepulera congruis sibi, (hoc est quoad indolem et sensum plane funerariis), sive picta sive sculpta essent, ornamentis decorata extitisse.

Porro, servatane est huiusmodi Christianae artis indoles, quum non iam in catacumbarum recessibus, sed sub dio circaque basilicas coadunata sunt sepulera? Responsum, quamvis alicui rem leviter intuenti obvium fortasse videatur, valde complexum nec facile revera est reputandum. Nam haud praetermittendae sunt variae peritorum in monumentis explicandis sententiae opinionesque; adde nonnullarum representationum obscuram adhuc significationem: quae nempe obstant quominus certa atque ultima et rem conficiens dari possit endatio. Illud tamen indubium haberi debet: indolem artis sepulcralis, per aliquod tempus, funerarium omnino vulgo permansisse, quum nulla esset illam abhodi ratio; at dein, propter novum quoddam genus artis invalescens, sensim sine sensu aliam evasisse; et aliunde, etiam in funerariis argumentis exhibendis, plura nec parva, praesertim a saeculo ineunte sexto, fuisse immutata.

Huius quidem rei causa multiplex appareat, ac pri-
mum ipsa ad opus adhibitae materiae diversa natura,
nempe ut in marmore effungi deberet, quod facilius
antea brevioreque tempore penicillo fieret; indeque
evenit ut argumentorum representationum electio,
propter angustiora spatia diversitatemque laboris, multo
difficilior evaderet. Aliud enim est pingere, et quidem
eo modo quo Christiani artifices plerumque pingebant,
aliud in duro exsculpere marmore.

Secundo vero, animadvertenda est norma, qua in extremis sarcophagorum partibus, iuxta ethnicam bonamque artem, convenienter oculorum aciei compositio finem faceret. Aliquid itaque, in his ultimis ad dexteram et ad sinistram partibus, parieti tamquam adhaerens esse oportebat; exempli gratia, in saepe iam alias in huiuscem commentarii paginis memoratis argumentis, rupes a Moyse percussa, Mariae Virginis, vel Pilati, vel regis Nabuchodonosor sedes, vel sepulcralis Lazari aedicula, vel saltem arbor aliudve, quod congruo modo compositionem clauderet. Quod si per figuram humanaum argumentorum series finiretur, haec ad medium compositionis locum conversa esse debebat; unde ista omnia effecerunt, ut novae aliquando res effingerentur, idque non quidem ad clariorem argumenti significacionem reddendam, sed ad complexum materialis compositionis perficiendum.

Tertio, consideranda lex quam *symmetriae* vocant. Haec enim plura aliquando requirebat, quae ad compositionis sensum haud erant necessaria, ut tertiam quan-

dam personam, ubi duae tantum requirebantur. Sic, exempli gratia, haud raro apud anaglypta, in Habacue escas ad Danielem prophetam afferentis representatione, altera exhibitetur Danieli adstans persona, quae prorsus, nisi quod faciem anaglypti terminet, quid sibi velit nescitur.

Verum quidem est legem eiusmodi maioris quam par est a quibusdam auctoribus, Edmundum Le Blant securis, factam esse. Alioquin, saepe etiam lex symmetriae cum *oppositionis* lege confunditur, quae quidem iam in picturis saeculi secundi animadvertis potest. Ut exemplum aliquod proferam, in sacramentorum quod vocant cubiculo A³, apud coemeterium Callisti, extrema cycli, seu extrema seriei argumenta in eodem sunt pariete exhibita, alterum contra alterum, ac pariter aquae cogitationem pree se ferentia, diverso tamen sensu: nimurum ex una parte est fons e rupe quam Moyses percussit scaturiens, spiritualisque vitae initium significans; ex altera parte, puteus e cuius labris, coram Iesu muliereque Samaritana, diffunditur aqua, quae quidem undae in vitam aeternam salientis cogitationem adumbrat. Item, in eodem cubiculo, ad latera eucharistici convivii, sacrificii adumbratio deprehenditur: nempe, ad dexteram insipientis, sacrificium cruentum crucis, Abrahae sacrificio expressum; ad sinistram vero, mysticum sacrificium, seu consecrationis eucharisticae inductio.

Lex eiusmodi, praeter quam symmetriae legi plerumque non adversatur, haud parvo in representatione auxilio est. Interim animadverte quaenam quaque sculptoris cura esse deberet in scheme compositionis efformando, si eiusmodi leges ceteraque artis preecepta sibi observare proposuisset.

Quarta mutationis ratio ipsa est nova monumentorum conditio; nam capsae marmoreae persaepe sub dio et circa basilicas frequentioraque sanctuaria erant, nec non accuratissime elaboratae, teguriis protectae, omniumque oculis expositae. Plura igitur in ipsis effingebantur quae a funeraria hucusque artis indole fuerant aliena, praesertim quaedam passionis Dominicæ mysteria, Ecclesiae persecutionis ac triumphi adumbratio, maiestas Christi, nonnulla argumenta ex apocryphis libris excerpta, quaedam insuper ad ethnicam artem pertinentia et ea omnia quae personam terrestremque vitam defuncti respicerent.

Denique novi cuiusdam generis ars, ad loca sacra seu basilicas exornandas adhibita, maxima quidem huius mutationis causa habenda est.

Iam si haec probe fuerint perspecta, facile intelligetur quomodo apud Christianos sepulcralis ars indole mutari potuerit. Hinc licet concludere, Postconstantinianorum sarcophagorum artem multa complecti praeter funeraria argumenta, quae historica, seu historico modo repraesentata sint et praeter ea quae aliquam directe sive moralem sive dogmaticam cogitationem insipientibus exhibeant symbolisque adumbrent.

Est tandem animadvertisendum, de Christianis funerariis anaglyptis ita fuisse prorsus ac de ethnicorum sculptilibus sepulralibus. Primum quidem apud sculptores cura fuit ordinem aliquem in symbolis disponendis servandi, sive iuxta desiderium vel suggestionem committentium, sive secundum quasdam artis normas, quae artifices, praesertim praestantiores, latere nequiviverunt; Christianorum autem numero magis in diem augescente, simul atque in arcis cadavera condendi more, ita tune de sarcophagis evenit sicut hodie fit de stelis cippisque funerariis, qui plurimi in officinis marmorariis iam parati et venales iacent. Cuius quidem assertionis evidens ac palmaris probatio habetur in innumeris fere sarcophagis apud quos defuncti persona inter sanctos exhibetur orans. Ubi enim ars accurateor, aut defuncti persona minime apparet, aut, si adsit, polita finitaque adeo conspicitur, ut vera vultus sui linea menta prodere reputari possit; ubi vero ars deterior, mortui persona saepe saepius non deest, sed tam imperfecto dumtaxat delineata modo, ut viri, an mulieris imago referatur haud facile discernere valueris.

XYSTUS SCAGLIA O. C. R.

COLLOQUIA LATINA

Puer beneūcus (1)

Iacobus puer quatuordecim annorum in margine viae urbanae cistulam collocat, in eaque peniculos parat et atramentum, quo praeterireuntum calceos politurus est. Advenit Fridericus, pauper et ipse, aetate paullo maior.

FRIDERICUS. — Heus tu, Iacobule, quousque stabis? Quis tibi calceos praestabit purgandos? Illuc omnes ad Samuelem ambulabunt, qui hilari vultu omnes arridet; neque eius vestimenta tam misere sarta sunt quam tua.

IACOBUS. — Neque vultum mutare possum neque vestimenta. Alia non habeo.

F. — Hem, peniculi tui egregii sunt; nihil deest praeter setas. Tam sunt calvi, quam caput Westonii senis decrepiti.

I. — Si peniculi displicent, da meliores.

F. — Dabo, si Sabbato tecum in coetum nostrum veneris.

I. — Saepe negavi me posse.

F. — Miror. In ceteris enim rebus neque animo cares neque sollertia.

(1) Huius dialogi scriptor Gaspar Harzheim, qui superiore anno e vita decessit, Scholasticos Iuniores Societatis Ieu plus viginti annos bonas litteras Latinas docuit. Qui cum magno opere litterarum studio imbutus est, ingentem copiam scriptorum reliquit, in quibus elaborandis multos annos versabatur. Inter opera eius manu scripta et opuscula, quorum maxima pars ad disciplinam philologicam pertinet, plura colloquia Latino sermone exarata sodalis ego inveni. Eas latinitatis propagandae causa ad *Voxem Urbis*, si placuerit, passim edendas mittam. OWEN L. LEWIS. — Atqui Vox URBIS maximas tibi gratias et agit et habet. (I. F.).

I. — Mater mea non vult me istos novarum rerum molitores audire.

F. — Scilicet precari te vult et in aede sacra supplicare. Quid? nondum vides preces tuas esse inutiles? Miseret me tui. Pater tibi mortuus est, mater aegrotat, et tu et sorores tuae vultu estis pallido, fame macerati. Tamen nondum tibi patet Deum tum te aspernari tum preces tuas.

I. — Videtur sane aspernari. Nihilo tamen minus a Deo potius auxilium exspectabo quam ab istis seditiosis. In iis fidem non colloco. Suum enim quaerunt emolummentum, et si res ex eorum voluntate cesserint, maior quam nunc erit egestas et calamitas...

F. — Oppressoribus vestris; et iure quidem. Foeneratores certe et mercatores qui nos afflictant, et tyramni illi crudelissimi, in quorum ingentibus officinis nunc multa hominum milia servorum pecudum ritu laborant, ii omnes vel trucidabuntur vel ad extremam devenient egestatem.

I. — Si igitur eorumque filii rursus adversus vos oppressores suos coniurationes conflabunt, caedium nullus erit finis hominesque magis sanguinem sitient quam ipsi tigres; neque enim tigris tigrim devorat.

F. — Tace. Ignavus es.

I. — Ipse scis istud esse mendacium.

F. — Contemplare obesum corpus exornati illius adolescentuli. Eheu! si tu dimidiari partem haberetis rerum suavium quas ille hodie in ientaculo devoravit, et tu et mater et sorores amplam habere coenam videremini.

I. — Noli, Friderice, inflammare invidiam. Nimirum iam ardet animus.

F. — Appella eum; amicus tuus est. Negas enim desidiosos istos helluones esse necandos.

II. Venit OLIVERIUS a laeva.

I. — Liceat, quaeso, domine, purgare calceos tuos.

(Oliverius se non audire fingens transit. Fridericus Iacobum impellit in Oliverium; deinde fugit. — Oliverius Iacobo alapam dicit et pede percutit).

OLIVERIUS. — Canis impudentissime!

I. — Meam non esse culpam ipse vidisti.

O. — Nisi tacueris, ministros publicos appellabo. (*Abit*).

I. — Vapulare ut servum, ut canem calcari! Et haec mihi a picto illo stipite! Vere Fridericus dixit me esse ignavum! — Hem! alter venit elegans puer et nobilis et opulentus. Tentabo eum. Si etiam hic me ut canem tractaverit, tuus ero, Friderice.

III. Venit LEO a laeva.

I. — Calceos tuos, quaeso, domine, polire liceat.

- LEO. — Poli, sis. Quot hodie calceos polivisti ?
I. — Ne unum quidem.
L. — Nondum multi viam frequentant. Quod est tibi nomen ?
I. — Iacobus mihi nomen est, domine.
L. — Quamdiu hoc negotium egisti, Iacobe ?
I. — Duos fere annos; ex quo tempore pater vita decessit. Antea in eiusmodi opera nunquam sum versatus, domine.
L. Noli me dominum vocare. Puer sum ut tu es. Nomen mihi est Leoni.
I. — Vere benignus es.
L. — Non video ullam causam dure tecum agendi. Num tu vides ?
I. — Non video; plerique divites in nos duri sunt.
L. — Malum est. — Peniculi tui non sunt optimi.
I. — Non habeo nummos ad novos comparandos.
L. — Miserendum est. Dic mihi, quaeso, Iacobe, num hodie ientavisti.
I. — Neque ego, neque mater aegrota, neque parvae sorores cibum viderunt post horam hesterni diei tertiam, quum mulier vicina, et ipsa pauper, fragmentum panis nobis dedit.
L. — Quantum tibi debo, Iacobe ?
I. — Quantum tibi videtur.
L. — Vigintine centesimae satis sunt ?
I. — Raro tam multum accipio.
L. — Ecce talerus.
I. — Careo nummulis. Non possum quod superest reddere.
L. — Tene totum, Iacobe. Tibi tuisque ientaculum compara.
I. — Non tantum promerui; non est pretium, sed donum. Merere panem conor, mendicare nolo.
L. — Optime. Hae viginti centesimae pretium tuum erunt.
I. — Gratias ago, domine.
L. — Non dominus tuus sum. Leonem me voca. Ecce duo taleri. Hos tibi non dono sed mutuos do. Si quando satis magna tibi pecunia fuerit, eos mihi reddes. Sin forte me non facile inveneris, meo nomine homini pauperi dabis.
I. — Matris causa eos animo gratissimo accipio. Maximum mihi tua benignitas beneficium praestitit, multoque maius quam ipse scis, Leo. Quum hoc venisti, vehementer eram iratus. Iniuria enim et opprobrio affectus eram.
L. — Rem vidi, mi Iacobe. Qui te violavit mihi notus est. Eum monebo. Noli autem existimare eum malignum esse. Animi impetu commotus temere egit; non cogitavit.
I. — Aperte tibi fatebor. Animum induxeram ut consilia consociarem cum iis qui, re publica eversa, omnia aequare volunt. Misericordia tua ad saniora consilia me revocavit.

- L. — Noli fidem praestare istis plebis adulatoribus. Inde non erit salus.
I. — Mater mea me idem saepe monuit.
L. — In Deo, mi amice, spem pone.
I. — Recte tu quidem, Leo. Deum te ad me misso me docere voluisse puto etiam inter opulentos homines inveniri benevolos.
L. — Si quid iterum tibi opus fuerit, ad me venies. Ecce chartula mea. Nomen inscriptum est et domicilium. Vale, mi Iacobe.
I. — Vale. Deus istius tibi beneficii praemium dabit.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Quot homines, tot sententiae.

Nihil vel hodie vulgo tritus est, quam haec Terentiana sententia: « Quot homines, tot sententiae »; cui similis est apud eundem et illa: « Suus cuique mos est ». Persius item:

*Mille hominum specie, et rerum discolor usus;
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.*

Eodem pertinet et illud epigrammaticum, quod dictum est, inveniri qui non recusent agris paternis cedere; qui velit ingenio cedere, reperiri neminem. Horatius decentissimam addidit allegoriam:

*Tres mihi convivae prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.*

Idem primam omnium Odam huius argumento sententiae conscripsit, aliis studiis alios duci, aliis alia cordi esse. Adlusit, facete quidem, Terentius in *Phormione*, quum e tribus advocatis primus ait, secundus negat, tertius deliberandum censem. Eam sententiam Euripides in *Phoenissis* latius explicuit: « Si pulchrum — inquit — et egregium cunctis idem foret, nulla hominibus anceps esset contentio. At nunc nihil simile, nihil idem mortaliis nisi forsan verba inter istos concinunt, re tamen ac factis nihil convenit ». Idem in *Hippolyto coronato*: « Hic his, hic illis, et homo cordi est, et deus ».

Tunica pallio propior.

Apud Plautum in *Trinummo* legitur allegoria proverbialis: « Tunica pallio propior est ». Quo significatum, ex amicis nos aliis atque aliis magis esse devinctos, neque parem omnium habendam esse rationem. Apud veteres primum in officio locum habebant parentes, proximum pupilli nostrae fidei crediti, tertium clientes, quartum hospites, quintum cognati et affines, ut indicat Gellius (lib v, cap. 13). Praeterea quaedam negocia propius aliis ad nos pertinere; sic pallium extrema vestis apud Graecos, quemadmodum apud Romanos toga.

EX BATAVIA

De certamine poetico Hoeuftiano

Accepimus, et libenter edimus:

Die XIII mensis Martii in conventu Ordinis Literariorum Academiae Regiae Disciplinarum Nederländicae relatum fuit de XXXIII Carminibus, quae Amstelodamum missa fuerant ut de praemio an. MCMX certarent. Horum aureo numismate dignum iudicatum est Carmen inscriptum *Fanum Vacunae*, cuius auctor apparuit **Iannes Pascoli** Bononiensis. Praeterea prelo dabuntur quatuor carmina praestantissima, si poetae veniam dederint schedulas aperiendi. Sunt autem his titulis: *Petronius, Pacua montium, Avia, Ravenna.*

K. T. KARSTEN,

Acad. Reg. D. N. ab Actis.

EX ITALIS URIBUS

De magno artium certamine
insigniter Augustae Taurinorum indicto

II.

Iam saepe Subalpini huiusmodi nobilia artium certamina sibi insumere putarunt. Nec velim me, candide lector, incuses, si rem paullo longius repetam. Namque vel ab anno octingentesimo octavo et quinquagesimo supra millesimum saeculi nuper elapsi, in hac nostra urbe, adhuc Sardiniae regni capite, novorum quasi temporum seriem praesagientes, nonnulli artifices, ingenio praescriptoque publicae auctoritatis, haec primum certaminum genera ad nos invexerunt. Citra tamen superbiam, sed parvula quadam gloriola raptus, dicere haud dubitabo: « Hac in re Subalpini primi in Italib! »

Paucis ante annis Anglia, quae, illa aetate, supremam commerciorum potestatem facile obtineret, in potentiae suae ostentationem, atque ut ad se omnium animos converteret, primum Londini, omnibus circa nationibus admirantibus, novum hoe ingenii inventum invehere voluit. Mirum, quot populi illuc invisi perrexerunt, admirati insignes in artibus profectus, quos illa natio, maris antea unice potens, uti fama credebatur, tam cito esset adepta.

Proxima Gallia, mox eius exemplum secuta est, quae sub valido Napoleonis III dominatu, ad gloriae apicem pervenit, excellentiores spiritus extollens, non modo armorum potentia primatum obtinuit, sed et in artibus atque commerciis, nedum aemulam aequavit, sed etiam est supergressa.

Hisce optimis inventis acta atque adlecta Subalpinorum gens, domesticum otium in artium studium constituit, eo etiam consilio ut Italos universos ad artium contentionem invitaret. Quapropter optimum factu putavit, si maiorum suorum vestigiis insistens, vel in artibus vires suas aliquando exerceret.

Ita in mysticis olim certaminibus a Graecis fuisse factitatum accepimus, ut alii aliis facem per manus tradarent, ut arcano quodam sensu, dum Palladem, omnium artium inventricem et quasi parentem venerarentur, progressum disciplinarum viderentur adumbrasse, quo aetas aetatem inventis suis, quasi totidem facibus, sic auget, ut ad supremum illum doctrinae gradum perveniamus, ad quem hominum mens possit adsurgere.

Omnis enim mortalium doctrina veterum experientia potissimum constat, qui planiorem viam recentioribus muniverunt.

Haud deerant, cum primum allatum est inter noscros cives huius certaminis nuncium, qui falso existimarent fore ut tot dissonae diversarum provinciarum rationes nunquam coalescerent, ac propterea ex hoc instituto, ob exiguum concurrentium numerum atque ob parvum artium commercium, quodque caput est, ob perpetuam huiuscemodo certaminis consuetudinem, nihil plane utilitatis redundaturum.

« Quae Subalpinorum audentia est! - dictabant, - qui cum principibus nostrae aetatis nationibus in contentione stare conarentur, quum pueri omnino sint in artium cultu? »

Gens vero nostra, non gloriolae cupida, neque ad nimis alta tendere conata, quam potius dixeris iustum et tenacem propositi, quum rem sibi diu studio quaesitam insumendam putaverit, humerisque suis haud imparem, multa tulit fecique, sudavit et alsit. Quid quod? Ipsi aptabis quod in carmine, nescio quod, Ovidius cecinit: Propositumque tenet, flagratque cupidine currus!

Quamobrem ex regia potestate primum factum est anno quem supra memoravi. Sed simulaerum fuit potius certaminis quam verum virium populi experimentum. Pauci omnino ex privatis artificibus tune in aciem ingenii descenderunt, et modo apparuit quid in publicis officinis vel armamentariis fieret... Et illa aetate, magna huiuscemodi rerum copia ad viridarium quod olim apud regium castrum in suburbio, cognomento *il Valentino*, congesta multos visores adduxit cives atque advenas, qui, rem novam optime citra invidiam plaudentes, animum genti nostrae adsurgent addebat, posse aliquando vel in artibus cum externis populis contendere. Uno verbo, alea iacta erat, et Subalpini « possunt, quia posse videntur! »

Sic quoque anno millesimo octingentesimo octavo et nonagesimo... Nunquam vero tam ardenter, tam securer, tamque, ut ita dicam, confidenter manum ad opus admoverunt quam praesenti tempore.

Omnes enim, collatis simul viribus, praestantissimi cuiusque artificis in id quo natura tenderet, praesertim admittuntur.

Rem fusius enarrare curabo.

SUBALPINUS.

CHRISTI DOMINI PASSIO

QUAM PAULUS VERONENSIS PINXIT

Dominicae vitae in terris actae momenta quae artificum mentem afflatu suo omni tempore magis concitarunt, ea profecto fuere, quae Nativitatem Mortemque Christi repraesentarent, ita ut haud facile pictorem praesertim laudibus commendatum inveneris, qui ad alterutrum argumentum tractandum flamme suo ac penicillo non fuerit usus.

sciam, ab alio prius exhibutum, scalae illud et connamenti fulcimen! Quae in centurione, indomito equo insidente, absolvendi nefarii operis impatentia et sollicitudo! Cui aptissime eques alter adversatur, qui, dum scalam alteram tenet, Nazareni purum tranquillumque in tot angoribus vultum, incertus et prope sibi intuenti non credens investigat. Sunt denique et piarum mulierum inter arbores quasi evanescens globus, aliaque ex parte homines super Iesu vestem divisam mittentes sortem. Hos suorum temporum more amictos Veronensis induxit; numne artifex item ac philosophus,



In his Paulus Caliari, ex patria Veronensis cognomine, ob picturas Mantuani cathedralis templi aediumque Venetorum Ducum notissimus; qui de Redemptore crucifixo tabulam composuit in Florentina pinacotheca inter saec. XVI maxime celebrata opera asservatam, quam hisce paginis lectorum nostrorum oculis subiicimus.

Caliarius, Titiani Vecellii morem sequutus et Iacobi Robusti, vulgo *il Tintoretto*, aemulus, splendorem, vivacitatem et planiorem quamdam effectionis rationem sibi imprimis proposuisse videtur; quod si quando significationis vi cedit, in figurorum tamen dispositione, venustate atque gratia, non minus quam colorandi arte, proculdubio aequalibus suis longe praestitit.

Intuere, quaeso, scenicum decorem in Golgothae hac repraesentatione. Christus in crucem actus non solum loco et mysticae perfectionis adspectu emicat, sed lucis quoque radiis, qui ex discissa coram nube eius corpus recta collustrant. Quae inter ipsum et homines efferendae cruci circum intentos diversitas! Quis naturae conforme, nec, quod

gravi quidem allegoria, aetatem quoque suam in hac tabula reprehendere voluit?

FORFEX.

DOMESTICA FUNERA

Arterosclerosi correptus, quae iamdiu eius vitae minitabatur, III Id. elapsi mensis Martii, Romae placide quievit in Domino **Aloisius Fornari**, Iosephi pater, Vociis Urbis huius nostrae moderatoris.

Dum amici dilectissimi novum luctum vehe- menter condolemus, animae pientissimae integer- rim viri, qui civilis omnis ac domesticae virtutis exemplum, litterarumque latinarum eximius exst- tit cultor, sociorum et lectorum suffragia expo- scentes, requiem sempiternam adprecamur.

S. R. E.

CHRISTO-DEO RESURGENTE

Surrexit! Lacrymis parcite tristibus,
Iamiam luctisonis parcite vocibus,
Afulgente die quâ rutilantior
Christus scandit ad aethera.

Antehac laetitiae promere cantica
Haud dignum, populos cum Satanas neci
Tradebat; Dominus sed Cruce belluae
Durum comminuit caput.

Quae, quae non patiens Ille tulit probra?
Quis non vulneribus corpus inhorruit?...
Sed iam vicit! io! Dicite lauream,
Regis dicite gloriam.

Victrix Relligio, concine tu modo
Pugnas auxilio perdomitas Dei:
Firmandis animis praeleritas iuvat
Laudes non humiles loqui.

Vixdum prodieras, Isacidûm furor
Ausu sacrilego iam tumulum parat!...
Nec diram satiant carnificis sitim
Sacri flumina sanguinis!

Illorum at rabies iraque Caesarum
Sponsam non valuit perdere Regiam:
Caedes multiplicant! Ecce cruor nova
Profert germina Martyrum.

Quin tu **Christiadum nomine** gaudeas
Deleto, Diocles!... Visa Fides mori
Per caedes, gladios, damna, pericula
Frontem pulcrior extulit.

Demens haerescos hydra ferocius
Magnam perniciem dogmatibus struat!
Pectus virginium bellua centiceps
Morsu dilaceret fero;
Non tu, Nestorius vincis, et Arrius!...
Summi namque Fides filia Numinis,
Surgit splendidior, fusaque pectora
Uno iam grege colligit.

Quid pugnax tua vel bella, Napoleo,
Invictam quatunt? Septimus en Pius
Ad Romana redit limina laetior;
Te infamis scopulus manet!

En attrita solo vana superbia!...

Laelis temporibus stultitia Deum

Audax adgreditur, rebus at asperis

Nutat, praecipitat, perit!

Vae vobis solio qui super impio

Non temnenda Dei iura refringitis!

Stultis nulla salus, nulla potentibus

Infensis patriae et sacris.

Stabit Relligio nescia comprimi;

Duris sueta diu, non timet hostium

Nisus, vel manicis vincita tenacibus

Orbem Diva parens regit.

Discant iustitiam! Quos Satanas movet

Atrox in Fidei regna satellites

Vindex dextra Dei fulminat, et Fides

Ad palmas properat novas.

Aquilae in Vestinis.

ANGELUS NARDIS.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

Dubia soluta circa competentiam in Ecclesiasticis legibus interpretandis.

1) An, post ordinationem Romanae Curiae a Pio PP. X statutam, S. Congregationi Concilii adhuc competat exclusiva facultas authentice interpretandi omnia Concilii Tridentini decreta, quae ad morum reformationem, disciplinam aliaque huiusmodi pertinent, Summo Pontifice consulto? — Resp. Negative.

2) An facultas authentice interpretandi Concilii Tridentini decreta aliasque leges ecclesiasticas vi Constitutionis Sapienti Consilio sit singulis Sacris Congregationibus commissa secundum propriam uniusque competentiam, salva Romani Pontificis approbatione? — Resp. Affirmative.

3) An eadem potestas competit sacris tribunalibus Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae? — Resp. Negative.

4) An iisdem sacris tribunalibus competit saltem facultas decreta Concilii Tridentini aliasque leges ecclesiasticas interpretandi iuridice in casibus particularibus, ita nempe ut ius faciant inter partes in causa? — Resp. Affirmative.

(Ex decr. d. xi Februarii MCMXI).

Ex Congregatione de Sacramentis.

Instructiones circa « statum liberum » ac denunciationem initi matrimonii.

1) In memoriam redigatur parochorum haud licere ipsis adesse matrimonio, nisi constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis. (Cfr. Decr. *Ne temere*, n. V § 2); iidemque praesertim moneantur ne omittant Baptismi testimonium a contrahentibus exigere, si hic alia in paroecia fuerit illis collatus.

2) Ut autem quae n. ix § 2 memorati decreti praescripta sunt, rite serventur, celebrati matrimonii denuntiatio, ad baptismi parochum transmittenda, coniugum eorumque parentum nomina et agnominas scripta secumferat, aetatem contrahentium, locum diemque nuptiarum, testium qui interfuerunt nomina et agnominas, habeatque parochi subscriptum nomen cum adiecto parochiali sigillo. Inscriptio autem accurata indicet paroeciam, dioecesim, oppidum seu locum baptismi coniugum, et ea quae ad scripta per publicos portatores tuto transmittenda pertinent.

3) Si forte accidat ut, adhibitis etiam cautelis, de quibus num. 1, baptismi parochus, in recipienda denuntiatione matrimonii comperiat alterutrum contrahentium aliis nuptiis iam esse alligatum, rem quantocius significabit parocco attentati matrimonii.

4) Ordinarii sedulo advigilent ut haec praescripta religiose serventur, et transgressores, si quos invenerint, carent ad officium revocare, adhibitis etiam, ubi sit opus, canonicas poenis.

(Ex decr. d. iv mens. Martii MCMXI).

De probationibus matrimonii.

Dubium. — An et quibus in casibus quibusque sub conditionibus admitti valeat tamquam sufficiens probatio initi matrimonii simplex affirmatio eorum qui ex America aliisve dissitis regionibus adveniunt, quotiescumque documentum vel alia legitima probatio celebrationis matrimonii aut omnino haberi nequeat, aut nonnisi admodum difficulter et post longum tempus, quem interea rerum adiuncta moram inquisitionis non patiantur?

Resp. — Imprimis curandum diligentissime est, ut factum contracti matrimonii legitimis probationibus ostendatur: quae probationes, licet studiose quaesitae, si haberi nequeant, deferatur partibus iuramentum, quo propriam assertionem confirment: hoc praestito, partes habeantur tamquam legitimo matrimonio coniunctae, earumque proles ut legitima. Excipiendi tamen sunt casus, in quibus ius plenam probationem requirit, ex gr. si agatur de praeiudicio alterius matrimonii vel de ordinibus suscipiendis. — Matrimonium autem per iuramentum ut supra confirmatum inscribatur non quidem in communi matrimoniorum libro, sed in distincto libello ad hoc destinato.

(Ex decr. *Venetiarum* d. vi mens Martii MCMXI).

Ex Commissione de Re Biblica.

Ratio periclitanteae doctrinae Candidatorum ad Academicos Gradus in Sacra Scriptura.

Cuicunque ad Academicos in Sacra Scriptura Gradus, secundum ea quae Apostolicis Litteris *Scriptuae Sanctae* constituta sunt, licet certumque est contendere, disciplinarum capita definiuntur, in quibus apud Commissionem Biblicalam legitima doctrinae suae experientia dabit.

I) AD PROLYTATUM.

In experimento qu d scripto fit:

A) Exegesis (i. e. expositio doctrinalis, critica, philologica) quattuor Evangeliorum et Actuum Apostolorum. Pericope ex his, a iudicibns eligenda, de qua verbis quoque periculum fiet.

B) Dissertatio de historia biblica iuxta materiam sub num. III assignatam.

C) Dissertatio de Introductione generali iuxta materiam infra positam sub n. V, vel de Introductione speciali in sequentes libros: Pentateuchi, Iob, Psalmorum, Isaiae, Ieremiae, Ezechielis, Danielis, Ecclesiastici, Sapientiae et totius Novi Testamenti.

In experimento verbali:

I. Graece quattuor Evangelia, Actus Apostolorum, Epistola ad Romanos et secunda Epistola ad Corinthios.

II. Hebraice quattuor libri Regum.

III. Quaestiones selectae ex tota historia Hebraeorum et ex historia evangelica et apostolica: Historia Abrahae; eius relationes cum Babylonia (*Amraphel - Hammurabi?*) et cum Aegypto; Chanaan tempore Abrahae — Commoratio Hebraeorum in Aegypto; Moyses - Exodus; Hebraeorum vicissitudines in deserto. — Historia Iudicum. — Institutio regni Israelitici. — Aevum splendoris regni Israelitici; David et Salomon. — Schisma decem tribuum. Bellica incursio Sesac in Palaestinam. Regna Iosaphat, Athaliae, Oziae, Achaz, Ezechiae, Manasses, Iosiae. Hierusalem capta a Nabuchodonosor. — Dynastia Amri eiusque inimici (Mesa, etc.). Iehu, Manahem, Phacee. Ultimi dies Samariae. — Reditus ab exilio. Exordium diasporae (documenta Elephantinae). — Iudeorum historia tempore Machabaeorum. — Iudea sub dominatione Romana. Herodum dynastia. — Historia evangelica et apostolica.

IV. Introductio specialis in singulos libros utriusque Testamenti (i. e. authenticitas, aetas, argumentum).

V. Introductionis generalis quaestiones selectae, nimurum: De Bibliorum Sacrorum inspiratione. — De sensu litterali et de sensu typico. — De legibus Hermeneuticae. — De praecipuis documentis Ecclesiae ad Rem Biblicalam spectantibus. — De antiquis Hebreao rum Synagogis. — De variis Iudeorum sectis circa tempora Christi. — De gentibus Palaestinam tempore Christi incolentibus. — Geographia physica Palaestinae. — De praecipuis differentiis divisionis Palaestinae.

nae tempore Regum et tempore Christi. — Topographia Hierusalem, imprimis tempore Christi. — De kalendario et praecipuis ritibus sacris Hebraeorum. — De ponderibus, mensuris et nummis in Sacra Scriptura memoratis.

II) AD LAUREAM.

Scripto:

Amplior quaedam dissertatio circa thesim aliquam graviorem ab ipso candidato de Commissionis assensu eligendam.

Coram:

I. Dissertationis a Censoribus impugnandae defensio.
II. Specimen preelectionis exegeticae a candidato dandum de arguento una ante hora ipsi designato.

III. Exegesis unius ex sequentibus Novi Testamenti partibus a candidato diligendae atque pro arbitrio iudicium exponendae: Epistolae ad Romanos. — Epistolarum I et II ad Corinthios. — Epistolarum ad Thessalonicenses I et II ad Galatas. — Epistolarum captivitatis et pastoralium. — Epistolae ad Hebreos. — Epistolarum Catholicarum. — Apocalypsis.

IV. Exegesis ut supra alicuius ex infrascriptis Veteris Testimenti partibus: Genesis. — Exodi, Levitici et Numerorum. — Deuteronomii. — Iosue. — Iudicum et Ruth. — Librorum Paralipomenon, Esdrae et Nehemiae. — Iob. — Psalmorum. — Proverbiorum. — Ecclesiastae et Sapientiae. — Cantici Canticorum et Ecclesiastici. — Esther, Tobia et Iudith. — Isaiae. — Ieremiae cum Lamentationibus et Baruch. — Ezechielis. — Danielis cum libris Machabaeorum — Prophe-
tarum minorum.

V. Introductionis generalis quaestiones selectae: De historia exegesos christiana usque ad finem saec. V; imprimis de scholis exegeticis Alexandrina et Antiochenia necnon de operibus exegeticis S. Hieronymi. — De historia canonis librorum utriusque Testamenti. — De origine et auctoritate textus Massoretici. De versione Septuagintavirali et de aliis versionibus Vulgata antiquioribus in crisi textuum adhibendis. — Vulgatae historia usque ad initium saec. VII. Eiusdem authenticitas a Concilio Tridentino declarata, et posteriores emendationes. — Notitia praecipuorum documentorum, effissionum et inventionum Sacras Litteras illustrantium.

VI. Peritia praeterea probanda erit in aliqua ex linguis praeter Hebraicam et Chaldaicam orientalibus, quarum usus in disciplinis biblicis maior est.

Hanc periclitandae doctrinae rationem, in magis enucleatam formam a Pontifica Commissione Biblica redactam, SSmus D. N. Pius PP. X die 12 Ianuarii 1911 adprobare dignatus est.

FULCRANUS VIGOROUX P. S. S.

LAURENTIUS Ianssens O. S. B.

Consultores ab Actis.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Martio MCMXI).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque munera gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Veuillot doctor, Parisiensis diarii moderator, cui titulus *l'Univers*; Szecsen de Temerin, dynasta, Austrorum Hungarorumque legatus apud Apostolicam Sedem Roma translatu; Sacer Purpuratorum Senatus aulicique omnes omnia SSmo offerentes ob diem eius nominalem; Iosephus Fornari doctor, Commentarii *Vox Urbis* moderator et praefectus pueris puellisque omnibus instituendis a terrae motu inferioris Italicae an. MCMVIII superstitibus, quos Pontifex suo sumptu in ephebeis collocavit, eorum epistolas et munuscula sua ipsorum manu exarata offerens ob diem pariter eius nominalem; Sodalitas Petriana e Catholica Italorum Iuventute; Laudenze doctor, catholici Lovaniensis athenaei rector; Iosephus Angelucci, episcopus Civitatis Plebis consecratus; Moreno doctor, civitatis Argentinae minister in Uruguayana republica, eiusque uxor; Heidler de Egeregg, dynasta, minister cum omni potestate imperii Austro-Ungarici apud Apostolicam Sedem; De Colleville, Comes.

Pontificiae electiones.

Nominationes episcoporum. — SS. D. N. Pius PP. X decreto S. Congregationis Consistorialis elegit; r. p. d. Bernardum Pizzorno, iam episcopum titularem Comanensem in episcopum cath. eccl. Cremensis; r. p. d. Ioseph Butt, archidiaconatus Westmonasteriensis, pro-rectorem Collegii S. Bedae in Urbe, in episcopum tit. eccl. Cambysopolitanae cum deputatione in auxiliarem r. p. d. Francisci Bourne, archiepiscopi Westmonasteriensis; r. p. d. Sebastianum Herscher, iam episcopum Lingonensem, in archiepiscopum tit. eccl. Pessinuntiae, cum deputatione in coadiutorem cum futura successione r. p. d. Georgii Posilovic, archiepiscopi Zagabriensis; r. p. d. Angelum Mariam Dolci, iam archiepiscopum Nazianzenum, in archiepiscopum ecclesiae Amalphitanae; r. d. Cletum Cassani in episcopum titularis ecclesiae Thaciae Montanae cum deputatione in auxiliarem r. p. d. Aemilii Parodi, archiepiscopi Turritani; r. d. Aloisium Niella, in episcopum tit. eccl. Theuchirensis cum deputatione in auxiliarem r. p. d. Francisci Antonii Henle, episcopi Ratisbonensis; r. d. Michaëlem de Lima Valverde in episcopum cath. eccl. S. Mariae in Brasilia; r. d. Andream Karlin in episcopum cathedralium ecclesiarum Tergestinae et Iustinopolitanae; r. p. d. Oliverium de Durfort Civrac de Lorge, in episcopum cathedralis ecclesiae Lingonensis; r. d. Michaëlem de La Mora in episcopum cath. eccl. de Zacatellas; r. d. Eugenium Giambro in episcopum cath. eccl. Sarsinatensis; r. p. d. Ioannem Capitoli, iam episcopum Thermularum, in episcopum cath. eccl. Balneoregiensis; r. d. Ferdinandum Rodolfi in episcopum cath. eccl. Vicentinae; r. d. Ioannem Scotti in episcopum cathedralis ecclesiae Cariatensis; r. d. Petrum Goebel in episcopum tit. eccl. Sinopensis, cum deputatione in auxiliarem r. p. d. Maximiliani de Lingg, episcopi Augustae Vindelicorum.

— R. p. d. Eugenius Pacelli alter a secretis dicitur Congregationis ad Negotia Ecclesiastica Extraordinaria.

ANNALES

Belli rumores.

In superiore nostri commentarii numero **de discrimine inter Russorum et Sinarum imperium** diximus, deque Sinarum mente ad certamina vitanda propensa. Res tamen iterum in peius vertere ita viuae sunt, ut dictatum fuerit iam Russiam Kuldja urbe militari manu esse potituram. Contra haec, novae Sinarum concessiones nunciatae; at etiam — quod gravius est — non dubia indicia apparuisse dicuntur eorum similia quae an. MCMX fanaticorum (*boxers* vulgo nuncupant, facinoribus, praecesserunt.

* * *

Sed — ut non dicam **de Mexicana seditione**, quae falso Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis incitamentis tribuebantur — inquieta etiam **ex Mauritania** relata sunt. Ibi enim Gallia Mauritanorum imperatori reliquerat ut gentes Zaeorum et Bent — Tir puniret. Sed impares omnino sustinendo oneri civiles copiae se ostenderunt, quae Mequinez urbem obsidentes rebellium victoram impedire nequiverunt. Elati igitur istorum animi, neque dubium quin novos asseclas sint acquisituri et fore ut civile bellum ex integro exardescat.

* * *

Novissimi denique **timores ex Albania** pervenirent, praesertim e finibus Czernagorae et Scodrensis provinciae. Minime enim agitur hodie de factiosorum praecursionibus in Turcas, sed de tribus — ut videtur — omnis seditione, cui per fugae et imperii impatientes omnes accesserunt, quibus circumferendi bellum vitae quaedam necessitas habetur.

Eventus itaque anxio animo exspectamus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Austria** ob Czechorum novas excandescentias, legatorum coetus dimissus novaque comitia ad Iunium mensem indicta.

In **Anglia**, Grey, exterarum rerum minister, de auctis navalibus expensis rogatus, lucida oratione exposuit non aggrediendum, sed ad maris imperium Angliae servandum id necessario esse factum.

In **Borussia** de publica institutione deque religione in inferioribus scholis docenda acriter disceptatum.

In **Bulgaria** inter regem et Malinowium, administratorum praesidem, dissensionibus obortis, Geschowius gubernio praepositus.

In **Germania** de commerciorum ratione late disputatum.

In **Hispania** administratorum collegium, ob declarationes circa dubia proposita ad negandam damnationem Ferrerii illius iure actam, controversum, a munere se abdicavit. Rex vero Canalejas novum collegium componendi munus iterum commisit.

In **Hungaria** rationes acceptorum et expensarum examinari coepae.

In **Italia**, Luzzatti eiusque collegis ob denegatum sibi a « radicalium » factione suffragium, ab administratorum officio recendentibus, Giolitti suffectus, qui gubernio praeesset.

In **Russia** rogatione legis repulsa, ut provinciarum consilia in Polonis imperii provinciis crearentur, Stolypinius a gubernio recedere constituit; Caesar vero eius renunciationem ratam non habuit.

In **Serbia** Stefanovits, militum praefectus, bellicae rei administer renunciatus.

In **Turcarum imperio** lex de navigatione approbata.

PER ORBEM

Die i mens. Martii MCMXI Florentiae obit Ida Baccini, quae sive scriptis sive in scholis docens ad puerorum Italorum institutionem omni vita incubuit.

— d. III Madriti in aerodromo Mauvais aviator inter spectatores cum velivolo suo praecipitans, Villate, militum praefecto mortem, et pluribus cibibus vulnera apporat.

— d. v Romae novus ad Milvium pontem hippodromus sollemni ritu inaugurator.

— d. vii Vicentiae in nosocomio, quo ad chirurgicae artis experimentum in corpore ex renis ob calculos laborante subeundum, fuerat translatus, vita fungitur Antonius Fogazzaro, Italicus scriptor apud omnes populos late celebratus, quippe qui exquisitissima arte patriae amorem, christiana religionis et sapientiae omnis inter se copulare indiffeesse studeret. Licet interdum extra fines processit, ita ut quemadmodum inter omnes constat — commenticia quaedam eius fabula, cui titulus *il Santo*, in indicem librorum prohibitorum relata fuerit, nunquam tamen tum a summa fide ac bono animo tum ab obsequio magistrae Ecclesiae debito aberavit. Natus erat Vicentiae d. xxv mens. Martii MDCCXLVIII.

— d. xi Florentiae publica exhibitiō imaginum a celeberrimis artificibus effictarum patet.

— d. xii Vesevi cacumen improviso fragore in montis gurgitem delabitur.

— d. xv marinus turbo Hetruriaē oppido Viareggio ingentia damna procurat.

— d. xx nuncium vulgatur doctorem quemdam Americanae missionis archaeologicae in Cyrenaica provincia a fanatico Mahumetanorum furore occisum esse.

— d. xxi Olyssipone ex omnium operariorum ab operibus desertione graves tumultus fiunt.

— d. xxv Gulielmus, Germanorum Caesar, cum uxore et Victoria Aloisia filia Coreyram insulam brevis rusticationis causa petiturus, Venetias constitit.

— d. xxvi Neo-Eboraci officina quaedam ad « celluloidem » conficiendum improviso incenditur. Flanmae statim per domum omnem deflagrantes, homines centum et quinquaginta terribili morte absunt.

— d. xxvii per Italiam omnem, et Romae praesertim, quinquagenaria dies ex quo in Subalpino popularium legatorum coetu Urbs Italici regni caput conclamata est, sollemnibus publicis commemoratur. Emmanuel III rex, post sessionem habitam in Capitolio, pulchrarum omnium populorum artium exhibitionem ad viam Flaminiam inaugurat.

— d. xxviii Lutetiae Parisiorum Italus aviator Iosephus Cei, iuvenis viginti vix et duos annos natus, dum sublimis inter aera tollitur, improvisa machinae eversione in terram deiicitur ac misere moritur.

LIBRORUM RECENSIO

De nova Georgicorum Vergilii Maronis Poetica interpretatione.

Libri Georgicorum, qui Vergilio Maroni immortale decus et nomen poetae omnium elegantissimi peperrunt, plures apud nostrates nacti sunt non modo studiosos, verum etiam interpretes, qui poematis latini exquisitissimam suavitatem italicico carmine exprimere tentarent. Praeter ceteros laudem meruerunt Caesar Arieius Brixensis, Dionysius Strocchius Faventinus. In idem gloriae certamen felici ausu hac nostra aetate descendit Fortunatus Capuzzello Neretus, in Lyceo Tusculano doctor decurialis.

Qui etsi in litteris italicis tradendis summa cum laude versatur, Mantuani tamen poetae tanta admiratione tenetur, ut illius amore et studio unice duci videatur. Et re quidem vera, quum paucis ante annis decem Vergilii Eclogas italicis versibus expressas vulgasset, paulo post in usum tironum idem Vergilii poemation optimis annotationibus exornatum typis edendum curavit. Post haec ad quatuor Georgicorum libros animum appulit, eosque pariter italicis numeris modisque adstrictos ex officina Loescheriana in litteratorum manus nuper emisit. Quo in opere eximius interpres magnum sane laboris ingenique fructum collegisse videtur. Nam prae-

ter verborum proprietatem et elegantiam, praeter versus levitatem, maxime in ipso eluet studium et cura singularis, ut auctori Latino pressius inhaereat et verbum verbo exprimat fidelissime. Quae virtus et summe laudabilis in translationibus est, et una omnium difficilima in iis, qui poetas poetice quidem, sed alieno numero et rhythmo, reddere student. Si quae in tanto opere occurrant, quae fortasse lector melius exprimi voluisse, is memoria teneat illud Horatii:

ubi plura nitent in carmine non ego paucis offendar maculis.

Ego quidem egregio viro gratulor ex animo, atque ei auctor esse velim, ut post Eclogas et Georgica ad Aeneidem iam animum intendat, ut de Virgilio Marone plene meruisse dicatur.

Anagniae, ex lyceo Leoniano.

ALFONSUS COCCHI.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

Card. ALFONSO CAPECELATRO. *Amiamo la Chiesa.* Lettera pastorale. — Romae edid. Desclée et Soc., 1911. (Ven. lib. 0,25).

FRANCESCO MAGRI. *L'emigrazione temporanea.* Lettera aperta al Clero Italiano con lettera-prefazione di Mons. Geremia Bonomelli. — Indidem. (Ven. lib. 0,40).

E. LESETRE. *Santa Genoveffa.* — Indidem. (Ven. lib. 2).

Prof. D. ANTONIO PAGANI. *Un vero modello di Madre Cristiana.* Biografia della Ven. Serva di Dio Elisabetta Canori Mora. — Romae, ex off. Pontificia parvorum Artificum a S. Iosepho, 1911. (Ven. lib. 3).

Mons. L. DUCHESNE — STEFANO LAMY. *L'iscorsi letti all'Accademia di Francia il 25 gennaio 1911.* — Romae edid. Desclée et Soc., 1911. (Ven. lib. 0,60).

HORACE MARUCCHI. *Guide du Forum Romain et du Palatin d'après les dernières découvertes avec deux plans et plusieurs illustrations dans le texte.* — Indidem. (Ven. lib. 2,75).

LAMBERTO FEDERICI, *I trionfi della Chiesa Cattolica.* — Indidem. (Ven. lib. 0,40).

P. GIULIO LINTELO S. I. *Il decreto sull'età della prima Comunione.* Traduzione dal Francese di F. C. — Indidem. (Ven. lib. 0,20).

R. MAULDE DE LA CLAVIÈRE. *S. Gaetano da Thiene e la Riforma cattolica italiana (1480-1529).* Italice red-

dedit et amplificavit Iulius Salvadori. — Indidem. (Ven. lib. 4).

L. SCHULLER. *Nuovo tesoro del Catechista e del Predicatore.* Esortazioni morali con ricco svolgimento di esempi storici e con indice alfabetico ed analitico. — Vol. duo. — Indidem. (Ven. lib. 5).

ANTONIO dott. RAMPAZZO. *Ai Predicatori novelli, avvertimenti.* — Indidem. (Ven. lib. 1).



TOCI

Medicus ad rusticum graviter aegrotantem accersitus, post latum de morbo iudicium, quum ne frustulum quidem chartae prae manibus haberet, exaravit quid pharmaci illi sumendum esset in ianua cubiculi, et admonitis, qui aderant, uti a quopiam exscribendum curarent, inde discessit. Pater autem rustici, quo maturius filio medicamentum adhiberetur, ianuam humeris impositam, ad pharmacopolam portavit.

Modiliani coena.

Nil te parcus est, Modiliane,
Qui coenas semel in die libenter.
Hora post medianam diem peracta,
Mensae lancibus, amphoris refertae,
Thecis, pixidiibusque mox recumbis,
Alee, pernaque, ius praedit, butyrum,
Et p unum, botulusque, crustulumque;
Quam circumdat olus, venit bovilla
Elixa, assaque, succulentiorque.
Haec acris sequitur phalanx volucrum
Cum pulli, vituli suisque et agni.
Istis mystica nec deest placenta;
Ponuntur casei, tuceta, mala,
Et mons astapidum atque amygdalarum,
In er Burdigalense, Tusculanum,
Rhenanum, Siculum atque Veliernum.
Hora denique tinniente sexta,
Gustans salgama, nectar et pitissans,
Surg's nempe levi, Modiliane.
Haec ructans Arabamque thermopotas,
Et suens calamum t abes vaporas,
His coenas semel in die libenter,
His vivis satis in die libenter.
Quid te parcus est, Modiliane?

Domini se negans.

Visere non possum assi' uus tua limina pulsans,
Discessum assiduus te famulusque refert.
Quo nunquam poteris 'andem discedere, Claudi,
Visendi positum spes manet una mihi.

Encyclopedicus.

Omnigenas Musas calles, Eleazare, et artes,
O facinus! monstrum nam mori urus ades.

Dives avarus.

Praedia sunt tibi, unt armenta, arcaeque refertae,
Sunt viginti a'dos, horrea, musta tibi.
Attamen his miserum fore te, Polycarpe, recantas,
Nj tibi dicti forent, prome, qui! ipse fores?

Tensor maledicetus.

Assideo quoties tibi deglubendus, Amuli,
Vel mores hominum factaque suntente refers.
Lites, aerumnas, sortes rixasque et amores:
Sunt aliena satis; nunc tua, macte, refer.



Numismatum collectoribus monitum.

Apud Vocem Urbis numismata plura ex iis quae gesta Romanorum Pontificum referunt et quotannis in festo Apostolorum Petri et Pauli eudi solent, venalia prostant.

Sunt inter haec numismatum aeneorum Leonis XIII et Pii X integra collectio; collectio pariter integra argenteorum numismatum Pii X; et Leonis XIII ab anno XIII ad XXVI Pontificatus eius inclusive.

Si quis aliquod vel omnia habere cupiat, rogationem simul et oblationem suam scriptis mittat ad Drem. Iosephum Fornari, Commentarii Vox Urbis Moderatorem, Romam (via del Governo Vecchio 96).



AENIGMATA

I.

Mortales torquet, cruciat, disperdit et angit.

Allicit ipsorum guttura dulce fragrans.

II.

Vox eadem signo parvamque pigramque volucrem,
Quae mellis cumulos depopulatur apum.

Vox eadem signo pigmentum muricis instar,
Quod decus et vetulae dat iuvenile genae.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem JOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

JOANNIS STROPPA
INSCRIPTIONES

Aenigmata an. XIV, n. I proposita his respondent:

1) Ramus; 2) Ius.

Ea rite soluta miserunt:

Lad. Lud. Podobinski, *Cracovia*. — Ant. Favazzini, *Merato*. — Alois. Cappelli, *Senis*. — A. Renevey, *Estavayer-le-Lac*. — Alb. Kain; Ant. Whistide, *Dublino*. — Frid. Horwath, *Vindobona*. — Petrus Tergestinus — A. Bounin, *Aurisiano*. — Barth. Ferraris, *Augusta Taurinorum*. — Eug. Dolmar, *Neo-Eboraco*. — Alex. Pintauro; Vine. Starace, *Neapolit.* — F. Wawer, *Marianopoli*. — Lud. Goux, *Bituricis*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — Fr. Guerra, *Aletio*. — F. Arnori *Mediolano* — P. Prado, *Venetiis*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Iac. Costa, *Dumio*. — F. X. M., Drepago. — Alb. Catteau, *Lugduno*. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone*.

Sortitus est praemium:

ALEXIUS PINTAURO,

ad quem missum est carmen C. I. ERBEN, a Fr. PALATA latine redditum, cui titulus:

DIES CHRISTI NATALI PRAEVIA.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Editricis Romanae,

EUPLIUS

(5)

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

SCENA V.

CYRUS (*antea denuo ingressus*).

At vos, scelesti, novi probe in tempore,
Traham vos in lucem de vestris latebris.
Quot pulchra nectunt nefarii involuera;
Quae tot evolvan ego vel tantillus puer.
Et iste Maximus noster qui nuper erat,
Est totus adiunetus feris adversarii,
In nostros pugnat, adgravat pericula.
Ast ego, cuniculus nectans cuniculos
Et peream, totos ni male perduim!
Solent adesse fratres nuper iam plurimi,
Adest et Euplius! qui vir! Et innocens,
Et firmus, impiger, sanctis et moribus.
Ut olim Romae vixerat Laurentius...
Acer virtute, fortis in contrariis,
Cluens in primis propter elemosynas.
Venit procul dubio opportunissimus.
Omnes si venti conspirarent turbidi,
Eius nec fleetunt vel capillos capitisi.
Eum veneratur haec nostra civitas.
Quae virtus emicat de vultus vertice!

SCENA VI.

CYRUS, EUPLIUS et FELIX (1).

CYRUS.

Pater, salve!

CHRISTIANI.

Pater, salve!

EUPLIUS.

Avete, filii!

Adsunt quae dixerat Magister tempora,
Quis nostra virtus pericitatur maxime.
At vos qui spiritus tulistis Agathae,
Eius vestigis fortis insistite!
Iuvat in posterum magis confidere.
Audite verba quae magister edidit: (*legit*)
« Erunt in terris tempestates asperae,
« Erunt procellis atque nimbis gravidae,
« Ut ipsi sancti versentur in periculis.
« Dabit suis Ipse sanctam quam dulcedinem!
« Quis est qui vestibus de Bosra devenit
« Et Edom tinctis? Vadit in fortitudine,
« In ligno pulcher, pulcher in miraculis! »
En illud tempus nobis acceptabile!
Dedit sed exemplum Catanis Agatha,
Quod omne saeculum transactum superat.
En velum decus urbis et praesidium!
Si virgo fecerit virtutem debilis,
Meritis palmam conquisitam tulerit,
Quid nos possimus Eius patrocino?
Admodum viget saeculum si viitiis,
Adest Iusto um nec spernendus numerus.
Mihi corona, salus, exsultatio,
Et ipsi lapides necis dul es erunt!

FELIX.

Qui nobis obferunt aeternum gaudium!

CYRUS.

Tibi, velim, Pater, grave quid dicere.

EUPLIUS.

Puer, tu?

CYRUS.

Ita, Pater!

EUPLIUS.

Narra confidentius.

CYRUS.

Audivi nuper, si prudenter, nescio,
Urbis praefectum loquentem cum Maximo,
De Te, Pater! Cupit trudere in vincula
Ut impotentem Christianorum ducem.
Totis ut impleant nituntur artibus.
Iuvabit ergo devitare insidias.
Scis quot tentabunt dolos vaferimi,
Qui ut lupi rabidi per noctem quaeritant,
Quos possint dentibus macerare socios.

I. CHRISTIANUS (*curiosius*).

Quid dicit?

II. CHRISTIANUS (*item*).

Quomodo?

III. CHRISTIANUS.

Quando istaec facient?

CYRUS.

« Mox » dixit ipse. Quaerunt sed divitias!

FELIX.

Adest Volusius! Fratres, silentium!
Hic forte nostrum fratrum persecutor est!
Recede, Pater!

EUPLIUS.

Quid? Noster Volusius...

Sanguis et ipse christiani martyris!
Erit nec hostilis neutquam fratribus.
Quinimo validum nobis auxilium.

SCENA VII.

VOLUSIUS et DICTI.

EUPLIUS.

Salve, Volusi!

VOLUSIUS.

Salve et Tu, Eupli carissime!

EUPLIUS.

Quid est? Cur detrahis te de spectaculis?
Audisne rumores manuumque strepitum?
Plebes gaudet, plaudit triumphis Caesarum.
Cur hinc recedis?

VOLUSIUS.

Haud mihi placent ludica
Quae tot parantur hominum periculis.
Ia n mille sistunt, iam premunt molestiae
Queis humana plectitur mortalitas.
Eant a nobis ludi sanguinarii!
Sed qui sunt? Quamvis mihi cor suggerit,
Vos esse Christi stabiles discipulos,
Quod ipsi tristi saeculo receditis.

(Ad proximum numerum)

(1) EUPLIUS cum magna Christianorum multitudine ingreditur, modesta facie, graci incessu et habitu venerabilis,